

ac dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Deinde agnoscendum hîc est, quanta sit naturæ nostræ corruptio, qua fit, vt quò quisque est ætate prouectior, hoc sit ingenio corruptior, sic vt puer paruulus innocentia & modestia doctor etiam Prophetis & Apostolis proponatur,

Expectet Israël Dominum.] Obseruandum hîc est primùm, quod in exilio constitutus, non obliuiscatur Israëlîs populi Dei, quem admodum diligebat. Deinde, quid agendum sit illis, qui ab impijs, falsis delationibus premuntur, & qui per iniuriam adfliguntur. Vtrisque est expectandus Dominus. Nam quod ipse faciebat in exilio constitutus, id suadebat & populo tyrannidi Shaulis obnoxio. Sic Ecclesia Christi, quando viros pios, à quibus verè amatur, ab impijs tyrannis & hypocritis premi. & abijcij, & interea reprobos regnare videt, seruet ipsa innocentiam, & animi submissionem: & Dominum expectet, qui suo tempore istos perdet, & Dauides liberabit. Tertio & illud obseruemus, quòd dicit: Ab hoc tempore & vsque in seculum. Ergo hæc est fors Israëlîs populi Dei, non vno tantùm tempore, sed per secula durans, vt perpetua opus habeat patientia & spe, qua Dominum expectet. Est igitur patientia & expectatio sanctorum non vnius seculi, sed omnium temporum & ætatum, inde ab initio ad finem vsque seculorum perdurans.

OBSER.
Vers. vlt.

PSALMVS CXXXII.

CANTICVM GRADVVM DAVIDIS.

Apparet hunc Psalmum vel à Salomone, vel in Salomonis gratiam ab alio quopiam esse compositum. Habet orationem ad Deum pro regni, sacerdotij, & ciuitatis Hierusalem prosperitate: admonetque eorum, quæ cum Dauid Domino vouit, tum quæ Dauidi ac posteris eius à Domino erant promissa. Dispositio Psalmi.

Sunt huius Psalmi tres partes, decem & octo versibus comprehensæ. Prima continetur nouem versibus prioribus: in quibus à Salomone studium Dauidis patris sui erga constituendum Deo tabernaculum, & quid ipse, cum arcam Dei transferret, petierit, memoratur. Secunda, à versu 10. vsque ad 13. de posteris Dauidis canit, quibus erat regni promissa successio. Tertia à 13. versu, ad calcem vsque commendationem habet ciuitatis Hierusalem, & responsionem Dei, ad petitionem Salomonis.

PRIMA PARS PSALMI.

MEMENTO Domine Dauidis, omnis afflictionis eius.

2. Qui iurauit Domino, vouit forti Iacob.

3. Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero stratum lecti mei.

4. Si dederò somnum oculis meis, palpebris meis dormitationem.

5. Donec inuenero locum Domino, tabernacula forti Iacob.

6. Ecce audiuiimus ea in Ephratha, ecce inuenimus ea in campis syluæ.

7. Eamus ad tabernacula eius, adoremus scabellum pedum eius.

8. Surge Domine ad requiem tuam, tu & arca roboris tui.

9. Sacerdotes tui induantur iustitia, & qui benignitatis tuæ participes sunt, exultent.

Omnis afflictionis eius.] Ebr. אהכל עניתי. Græc. & vulg. Lat. Et omnis mansuetudinis eius. Pagn. legit articulum אה pro Cum: Cum omni afflictione eius, inquit.

Qui iurauit.] Ebr. אשר נשבע. Græc. & vulg. Lat. Sicut iurauit Domino: quasi scriptum sit באשר. Suspicor Græcam lectionem esse corruptam, vt positum sit וס pro וס.

Vouit forti Iacob.] Ebr. נדר לאביר יעקב. Iacob, non est nominandi, sed gignendi casu legendum. Non enim Iacob vouit, sed Deo, quem vocat fortem Iacobi. Græc. & vulg. Lat. Vouit Deo Iacob. Sic & Hieron. Felix: Votum vouit robusto Iacob.

Palpebris meis dormitationem.] Adiungit hîc Græc. & vulg. Lat. Et requiem temporibus meis: quod in Ebraeo non legitur.

Ecce audiuiimus ea in Ephratha.] Ebr. הנה שמענוה: id est, Ecce audiuiimus illud: id est, tabernaculum. Positum est in fœminino genere, & numero singulari. Refert autem vocem משבחה: id est, tabernaculum. Reddidi in plurali: Ecce audiuiimus ea: id est, tabernacula: propter præcedentia. Græc. & vulg. Lat. Ecce audiuiimus eam. quæ lectio ratione caret, & ad nihil eorum quæ præcesserunt, referri potest. Hieron. Ecce audiuiimus illum. Camp. sic: Ecce de improviso inuenimus locum illum.

In campis syluæ:] Hieronymus: In regione saluus.

Adoremus scabellum pedum eius.] Ebr. לחדו רגליי. Græc. & vulg. Lat. In loco vbi steterunt pedes eius. Cetera satis concordant.

Memento Domine Dauidis.] Primæ huius partis petitio, infra versibus 8. & 9. ponitur. Illi præmittit de Dauidis studio erga Deum, petitque vt illius meminisse velit. Memento, inquit, Domine Dauidis: hoc est, Propter Dauidem seruum tuum, annue petitis nostris. Omnis afflictionis eius. Q. d. Quam propter te toto vitæ suæ cursu sustinuit. Huius gratia respice nos.

Qui iurauit Domino.] Hisce quatuor versibus. 2. 3. 4. & 5. commemorat Dauidis propositum, de construendo tabernaculo Dei. Facit huius mentionem, vt quod petiturus est infra hac ratione comendabilius & acceptius reddat. Qui iurauit Domino, inquit, vouit forti Iacob. Rê eandem bis dicit, emphasis gratia.

VERS. L

LECTIO

1. Vers. 1.
2. Vers. 2.

Vers. 4.

Vers. 6.

Vers. 7.

EXPLA

NATIO.

Vers. 1.

Vers. 2. 3. 4.

5.